FORTUNA LECHIÆ

Themidis munita gladiô
Sub Judiciorum Securitate

TRIUMPHANS.

In
CELSISSIMO TRIBUNALI REGNI
ILLUSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS
ILLUSTRISSIMIS EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS DOMINIS,
Utriusque COLLEGII

JUDICIBUS DEPUTATIS,

Ad Solennem AREOPAGI Majoris Poloniæ, ingressum
Cultu Salutátorio

ADORATA.

AB
Excurrente in applausus pedissequa Suada
Collegij Petricoviensis Soc: JESU.

ANNO
Triumphantis in Carne humana DEI Judicis 1739.

CALISSIJ
Typîs S.R.M. in Collegio Societatis JESU.

CELSISSIMUS
EXCELLENTISSIMUS
ILLUSTRISSIMUS,
Et
REVERENDISSIMUS

DOMINUS,
D. STANISLAUS KOSTKA
MIASKOWSKI,

CANONICUS GNESNENSIS,
CANCELLARIUS CRACOVIENSIS,
PRÆPOSITUS PLOCENSIS,
DUX SIELONENSIS,
PRIMICERIUS SANDOMIRIENSIS,

PRÆSIDENS.

TRIBUNALIS REGNI.

ILLUSTRISSIMUS
EXCELLENTISSIMUS
DOMINUS

D. STANISLAUS
SŁUGOCKI,

DAPIFER Terræ Chełmensis,
CAPITANEUS Łojoviensis,

TRIBUNALIS REGNI
MARESCHALCUS.

COLLEGIUM SPIRITUALE.

Ex Capitulo Gnesnensi.

Illustrissimus Reverend: DD. JOSEPHUS IWANSKI, CanonicusGnesnensis,PræpositusCzarnkoviensisVice-PRÆSIDENS TRIBUNALIS REGNI.

Ex Capitulo Leopoliensi.

Illustr. Reverend. DD.SAMUEL GŁOWINSKI,Episcopus Hebronensis, Suffraganeus Leopoliensis.

Ex Capitulo Cracoviensi.

Illustr. Reverend. DD. STANISLAUS KRĘSKI, Cantor Cathedralis Cracoviensis.

Illustr: Rev. DD. MICHAEL TRZEBINSKI. Canonicus Cracoviensis.

Ex Capitulo Vladislaviensi.

Illustr: Rev. DD. JOANNES MIŁACZEWSKI, Canonicus Vladislaviensis

Ex Capitulo Posnaniensi.

Illustr. Rev. DD. ADAMUS OPALINSKI, Canonicus Posnaniensis.

Ex Capitulo Plocensi.

Illustr: Rev. DD. ALEXANDER MOKRANOWSKI, Canonicus Plocensis.

Ex Capitulo Luceoriensi.

Illustr. Rev. DD. ADALBERTUS DŁUSKI, Canonicus Luceoriensis.

Ex Capitulo Culmensi.

Illustr. Rev. DD. FABIANUS PLASKOWSKI, Canonicus Culmensis, Præpositus Sztumensis, Officialis Mariæburgensis.

Ex Capitulo Chełmensi.

Illustr. Rev. DD. ANTONIUS POPŁAWSKI, Decanus Chełmensis.

Ex Capitulo Kijoviensi.

Illustr. Rev. ADALBERTUS JOSEPHUS *de Jakubovice Toporczyk* JAKUBOWSKI, Canonicus & Judex Surrogatus Kijoviensis.

COLLEGIUM SÆCULARE

Ex Palatinatu Cracovienſi.

Illuſtriſſimus Excell. DD. STANISLAUS KOSTKA ŁĘTOWSKI, Subdapifer Cracovienſis, Judex Caſtrenſ: Biecenſis.

Illuſtr. Exc. DD. FRANCISCUS PISARSKI, Capitaneus Olbromenſis.

Ex Palatinatu Syradienſi.

Illuſtr. Exc: DD. STANISLAUS POKLĘKOWSKI, Notarius Caſtrenſis Syradienſis.

Illuſtr. Excel. ANTONIUS CZAYKOWSKI, Theſaurarius Lancicienſis.

Ex Terra Vielunenſi.

Illuſtr. Excel. DD. VLADISLAUS KRAKOWSKI Tribunus Vielunenſis.

Ex Palatinatu Lancicienſi.

Illuſtr: Excell: DD. FRANCISCUS WILKANOWSKI, Notarius Terreſtris Lancicienſis.

Illuſtr. Excel. DD. STANISLAUS MOROCHOWSKI, Notarius Caſtrenſis Lancicienſis.

Ex Palatinatu Kijovienſi.

Illuſtr. Excel: DD. NICODEMUS CASIMIRUS *in Szumſko* WORONICZ, Vexillifer Ovrucenſis, Capitaneus Oſtrzcen: Vice-Palatinus Judicialis Generalatûs Kijov.

Ex Palatinatu Wołbyniæ.

Illuſtr: Excel. DD. LUDOVICUS PODHORODYNSKI, Notarius Caſtrenſis Volodimirienſis.

Ex Palatinatu Podoliæ.

Illuſ. Exc. DD. MICHAEL ŁOS, Vexillifer Czerwonogro.

Illuſtr. Excel. DD. MATHÆUS MARKOWSKI, Notarius Terreſtris Podoliæ Capitaneus Dzwinogrodenſis

Ex Palatinatu Ravenſi.

Illuſtr. Excel. DD. STANISLAUS SKARZYNSKI, Tribunus Goſtynenſis.

Illuſtr. Exc. DD. CASIMIRUS BRATOSZEWSKI, Judex Caſtrenſis Goſtynenſis.

Ex Palatinatu Pomeraniæ.

Illuſtr. Excel. DD. PAULUS *de Lubraniec* DABSKI, Vexillifer Breſtenſis Cujaviæ.

Ex Palatinatu Czerniechoviæ.

Illuſtr. Excel. DD. JOSEPHUS *de Skrzynno Dunin* KARWICKI, Pincerna Opocnenſis.

(CEL-

CELSISSIMI EXCELLENTISSIMI JUDICES DEPUTATI.

POstquam diem ad cultus Vestros noctibus dixistis Atticis, postquam è purpureo alti Sanguinis Oceano Cœlo Lechicæ exorti Astrææ Soles; nativi splendoris radiô eruditas traxistis in obsequium atomos; Cum his etiam Tullius, Vestro se se insinuat conspectui; sivè quòd à Vobis Planetæ Principes; projecta umbra sit, sivè quòd in arena literaria vix atomi adæquet Nomen; Vestræ alti passûs adhærentis plantæ. Conscius ille quantùm nuper Oratoriæ lingvæ licentiâ (si Oratoria dici potest quæ licentiosa est) in Vestram peccavit Majestatem, quantum demeritus quòd Causæ Honoris Vestri meritum non secundū evidens cujusque Gloriæ documentum induxerit, quod Deorum id est Vestrum Magni JUDICES Capitolium profanus Orator [si profana dicenda est quâ numina coluntur Oratio] subintravit. Tandem metu corripitur. Et qui nuper erubuit ad Purpuras, hodie pallet in pagina. Ac jam à se ipso convictus sceleris, proprio intra periodorum ambitus detinetur carcere. Jam ad typi damnatus tormenta læsæ Vice-Regiæ Majestatis Vestræ reus probatur. Jam sub illo pressuræ Cruciatu ingenuè confessus temeritatem, quod peccante contra artem linguâ Sacrū Themidis

Nomen profanârit; Diis ipsis (ubi Oratoris prò Vestra Domo non implevit munus) detraxerit. Fatetur ad elogia Vestri, incultæ Suadæ crimina; si crimen est! Cælos digitô tangi non posse; Immensos Oceani fluctus exili vasculô non concludi; Numina comprehensivè (nisi à se ipsis) non cognosci, Neq; Stylum aptari posse ad summam Gloriæ Vestræ elevationem! Excessistis enim ingenium Oratoris excessuum vindices, longè magis quàm suum Gratiani Ausonium, Alexandri Curtium, Trajani Plinium, Theodosij Pacatum; Ex omni Cæsares etiam Suadæ Principis superastis elogia. Et certè calami stylum (etiamsi omne acumen in Honoris Vestri punctô exerat) atteri necesse est, reptare eloquentiæ sublimitatem. Ultra noctes ergo Atticas soles Illustrissimi sublimiꝰ processistis, & omnẽ Oratorii styli circuitũ unicô passu (nè dicam triumphali in Areopagum ingressu Vestro) superastis; Supra omne elevatioris dictionis fastigium constitistis, ipsi Elogiorum apex & summa. Nulla ergo Vos Suadæ subtilitas attingit, nulli periodorum Capiunt ambitus, quorũ Gloriæ universa Polonia Campus est, digni quos loquantur Sydera, aut sol conscribat radiô. Neq; tamen ideo laudari desinũt Numina, quia nunquam laudantur satis, nec desperat Templis inferri Oratio quia DEO indigna. Non inficior leve folium esse quod devoveo; & ventô raperetur priusquam populari acceptum aurâ, nisi Nomine Vestro pondus adderetis. Deformis esset Panegyris istius facies ut pote sæpiæ concolor, nisi Vestris splenderet vultibus Illustrissimis. Admittite igitur non jam indignos Tullij conatus, sed Nominis Vestri Majestatem, minùs cultô Apelle calamo depictam. Incultam paginam dedignari potestis saturi Gloriæ ad delicium, ast Nomina Vestra repudiare, abnegare avita pretia, execrari Honores nullatenus. Nihil de novo accedet PerfectioniVestræ Magna Poloniæ Numina, si Gloria Vestra Vobis identica ad Vos veniat. Si Vos Ipsi quodãmodo in pagina velut soles crystallo replicati Vobis sub aspectum veniatis, Venit interim, & cum hac brevi Gloriæ Vestræ mappa, (pro Domo Vestra Orator) procumbit, quàm plantis dedicat.

CELSISSIMI TRIBUNALIS VESTRI,
ILLUSTRISSIMORUM JUDICUM
DOMINORUM & MECÆNATUM.

Mancipatissimus

Josephus Thad. Werenko Soc: JESU.

QUantum Mars & Bellona, Lechicæ Themidis deferat gladiò? palam est post quàm Sarmaticis turbata è limitibus, exul ab Imperio, de Lunæ Othomanicæ præcipitata Cœlo, totô ventilata Aquilone, Orbe Europæo proscripta pax, hodie, ab exitij liminibus; ad Astrææ Sacram Urbem hanc; imò Orbem penè integrum, redit vobiscum: Inter bellorum fulmina ad Vice-Regium diadema nati uniones, id est sub vicinam armorum tempestatem electi JUDICES *Celsissimi Illustr: Reverend. Excell:* Bella geri placuit hactenus aliis, ferreæ cudebantur leges alibi, nec nisi Vulcani Steropesque erant; qui inter armorum strepitus causas tutarentur miserorum, [si ruinæ tutari possunt!] Martius plerumque enim ad bellicæ clangorem tubæ audiebatur stylus in legionum advocatis, vulneribûs incisa, belli fulminibûs verba constabant, per terrarum ambitus rotati enses pro periodis, & in Europæ causa ferreus perorabat stridor qui alterutrius Partis sortem proderet damnatam. Ita bellorum Numen, ferreas allisæ inter incudem & malleum Fortunæ ponebat leges, ita pro Themidis Regno dominabatur alibi. Et nostra Martem nuper exterum salutavit Podolia, utinam non casurô in adorationem avitô veneratura sole, Chotimensis Lunæ æmulata casum! Postquam enim totum Europæ Taurum novus Phalaris Mars succendisset, post quàm Imperatrices Aquilæ, aves factæ incendiariæ, post quam bellico succensa æstu Othomanis Cynthia urbibus & Provinciis quã-

Alluditur ad famam de Pactis Conventis inter Imperiũ & Portã, quæ sub tempus ingressus Celsis: Tribunalis innotuit.

dam incendiorum causasset tempestatem, etiam proximus arsit Ucalegon, etiam Sol Podoliæ in flammas actus utinam tot ignibus non extingvendus. Sed quotus ego ut coram Achille de armis disseram? Patres Patriæ, Statores Joves, non peregrinos in Patria alloquor ut Vos Status (quis quis ille sit) Regni Vestri lateat. Fatorum proinde Providentiam consulere, eventus autumare, ex bellorum præmissis, fortis consequentiam inferre liceat? Ergo certè aut inter arma silebunt Leges? & importuno Marte superbiet, audebitque impunè nefas? aut procul dubio exundantê malorum naufragiô mersa succumbet Patria? Minimè! Est pro Troja Hector, Annibal pro Carthagine Alexander stabat pro Tyro ne caderet, Lechica verò Themis Polono contra Martem Orbi Numen est Tutelare, ut jam subscribam vati Orator: *Et perimente DEO, fert DEUS alter opem.* Nimirùm à Cœlo desumptum Astrææ Nomen, nunquam non amicum polo Poloniæ. Jam verò Themidem stipantes velut Solem Sydera, Vos Civium salus, Lechiæ securitas, felicitas universi, pectora Vestra, mænia sunt Sparthanis fortiora. Ac si igitur robur præsensissent illud, *cedunt arma* Vestræ togæ. Et rigidior fama illa quæ nuper Gradivum minabatur; hodie Jani Templum clausum ad pacem inclinata omnia, gestiens ore vulgavit plenô; post quam Vos Pacati Pacatoresque Lechicæ astreæ subintrastis Capitolium. Ut jam Sorti omnium cum Vate applaudam.

Jam minæ Sævi cecidêre belli
Jam profanatis malè pulsa terris
Et salus & pax niveis revisit.
Oppida bigis.

Sarbievius.

Talis nimirum Themidis Vestræ ingressus Judices Illustrissimi esse debuit ut Mars ipse adornaret pompam. Vindici Scelerum Numini Aram ex Trophæis erigeret sui furoris domitor, Triumphator de se ipso Gradivus. Aliter subintrare Urbem hanc in Vobis Justitia haud potuit nisi illi pax obviasset, ac eodem passu Orbis tranquillitas, Lechiæ felicitas spes & solatia omnium incederent. Animâstis emortuam penè rerum faciem ipsi Cor & a-

nima

nima Poloniæ, poſtquam publicæ proſperitatis illuxiſtis prodromi, non aliter quam ſi auroraCœli Sarmatici eſſetis, horas aureas, dies ominati ſinè nube optatiſſimos, procellarum turbine expeditos, Quæ cum ita ſint, longâ malorum tempeſtate motos præſtat componere fluctꝰ, Veſtri enim ingreſſum melior fortuna ſequuta eſt. Jam pro fulminum Miniſtris Aquilis, nidum ſternit Alcyones Gradivi reſedit furor. Europæ turbidum, proximè redit ad malaciam, & vel eo ipſo ſpes aſſurgunt Polonæ. Adeo proſper & feſtivus adventus Veſter eſt, ut eodem Vos Cultu quo & Fortunam Lechiæ, Themidis gladio ac Veſtris munitam pectoribûs, etiam inter armorum ſtrepitus ſecuriſſimam, inter pericula triumphantem in Vobis adorem. Cum ſole novo, cum grandibus Domûs Tuæ Aſtris, coronatô claram ſydere ſubintraſti nuper urbem hanc Celſiſſime STANISLAE KOSTKA MIASKOWSKI, Gneſnenſis Canonice, Cancellarie Cracovienſis, Præpoſite Plocenſis, Dux Sielonenſis, Primicerie, TRIBUNALIS REGNI PRÆSIDENS Illuſtriſſime Excellentiſſime Reverendiſſime. Princeps Aſtrorum æmulatus es luminare, non aliter majoris Sarmatiæ exortus Polo niſi vultum ſerenaſſes Patriæ, quæque ſibi proſpera de Tuorum aſpectu Syderum ominantis. Tetricas hæc non pavebit noctes, cum & Avita Luna dabit lumen ſuum, & Nominis Tui ſplendor accendat meridiem. Tu verò è Vice-Regia Majeſtate, velut è Stellarum firmamento primum ſydus, diem è mandato Judicij dicturus es tenebris ſi quæ ſub Tuorum Splendorum ſecuritate, Polo cognatam, invaderent Poloniam. Nôrunt fauſtiſſimos ſyderum Tuorum influxus in Principe Archi-Diœceſi Illuſtriſſimi Gneſnenſis Capituli Avita *Lilia* florum, & Diœceſium Reges. Evolvent hæc perennaturæ ætati folia, Tuo inſcripta Nomine; donec pôſt violas Eccleſiaſtico Te rubrô feſtivior annotet Dignitas, inter Purpuratos conſriptoſque Eccleſiæ Patres relatura. Et me Vate: Facies Liliorum illa [quibus nuper Gneſnenſis ADMINISTRATOR velut Rex Florum præeras] in Sacrum rubebit muricem, vel inter alia [ſi Plinio danda fides] ut Leones tygrideſque Lechico Reipublicæ infenſi

ſenſi

fensi corpori, colore hoc è Tuis renidente humeris à sua arceantur feritate. Neque mortale est quod opto; traxisti Dignitatum Eminentias Sanguinis nexu in Celsissimo ac Eminentissimo Illustrissimo Reverendissimo LIPSKI S.R.E. Cardinali, Cracoviensi Antistite. Illustrissimâ ille BARBARA de MIASKOWIIS Matre, id est Polonâ Pulcheriâ natus Pater Patriæ, multarum Gratiarū JOANNES trabeis concolorem ab hac accepit Sanguinem, ut olim vernaret in rosis & viola, Purpuratorum ad præsens Patrum decus & corona. Annulo Piscatoris non frustra hæc Sanguinis Tui gemma inserta est, certè illo Tuum Romano desponsatura Orbi Nomen, ut ipse tandem Fortunam agas Sarmatiæ in Cardinalium Rota. Et ab illo Quirini Vice-Christi pectore, in quo nuper JOANNES Honoris Eminentia, recubuit: etiam superum deliciæ STANISLAUS KOSTKA non excludaris, ad Caput Orbis, futurus cor & anima Poloniæ. Nec unus Augur ego: implevit hodiè Avitus MIASKOWSCIORUM Unicornis Aram Justitiæ, implebit expectationes de se omnium & Vota apprecantis Suadæ.

Antequàm Themidis subintrares Regiam, jàm se se Tibi triumphalem sinuavit in Arcum, Avita *Solea* Illustrissime & Excellentissime STANISLAE SŁUGOCKI, Dapifer Terræ Chelmensis Capitanee Lojoviensis, TRIBUNALIS REGNI MARESCHALCE. Quid mirum? Omnium amores & cor omnium, ita Triumphatorem animorum ingredi decuit Poloniæ Capitolium. Quantum Heroi animo Tuo Religio, Leges Patriæ, Civium salus, omnium debeat integritas? nosse potest, non compensare Lechia; qui altîs Soleæ Tuæ passibûs longè præmii magnitudinem excessisti. Dederas nuper sub Interregno Acephalæ Sarmatiæ, specimē virtutis Tuæ cataphracte Heros; Dici poteras Atlas Cæli Sarmatici, qui (ac si Tui solius humeris moles universa incumberet) ita pro Libertate decertâsti. Et priùs fulcrum videbaris Patriæ, antequam præsentis stubæ Mareschalcus, Romano Scipione non inferior salûtareris. Illud verò Elogii Tui summa est: quòd ubi alii Hostem persequendo, Civem trucidarunt, triumphos per suorum computaturi infortu-

nia

nia, ſub Tuo milite tentorio non magis hoſtis exitium, quàm Patria aſylum habuit. Et ſicut ipſe Phœnix Herorum es, ita in avito Nominis Tui decore turbidô illo Cœli Patrii tempore, Protectricem ſenſit Polonia, in *Jaſtrzębiec* Aquilam, non accipitrem. Dii Te igitur Religionis zelo tutandæ conſervent Patriæ, Jurium integritati, militiæ robori, omnium demùm ſolatio. Tamdiu verò inſignis circumvolet Sceptra & Curules Ales Tuus, donec Fortunæ exceptus manu Throno ſubſideat vicinus.

Iteratô greſſu Lechici Areopagi Solo impreſſa permitte adorari Avitæ *Soleæ* veſtigia, Illuſtriſſime Reverendiſſime JOSEPHE IWANSKI, Gneſnenſis Canonice Celſiſſimi TRIBUNALIS REGNI Vice-PRÆSIDENS Ad ſecundiſſimos in hac Themidis arena paſſus, Fortuna Lechiæ es, ideoque à nobis reverenter habenda. Repetitîs vicibûs Deputatus ad Stubam Judex, multiplicas Te uſibus Patriæ, & non tantùm Tutelari Nominis Etymô, ſed etiam meritorum in Rempublicam auge accreſcens es, meô votô: utinam ultra celſitudines uſque, ad Honoris Eminentiam, ut poſt emenſos in Vice-Regia Majeſtate Titulos, tandem Prorex Poloniæ JOSEPHUS adoreris. Utique ſpes Oratorii voti in flore eſt: Diviniſſimi Indigetis Tui Lilia SZEMBECIORUM Pæſtano, Ortûs Illuſtriſſimi implantavit Lucina. Sanguinis vinculo PRIMATI Purpurarum Flori innexuit *Roſis*; erit, ubi pôſt violas etiam inter *Roſinos* Purpuratosque tranſferaris Patres, Sacri muricis Flos & Corona.

Neſcit ſiniſtram Belli aleam Sors Lechiæ quoties eludit pericula ad *Roch* Avitum Illuſtr. & Reverend. SAMUELIS GLOWINSKI, Hebronenſis Antiſtitis, Leopolienſis Suffraganei. Habet Patria Dignitatum & Fortunæ gradus intra nativa Nominis iſtius decora ac uti his innixa immunis à caſu, ita certior ſecundi ad faſtigium Gloriæ aſcenſûs. Domus hæc feſtivior quædam Honoris Ara eſt Sacræ & amænioris purpuræ gentilitiis candidata Liliîs, floridô Prædeceſſorum Senatu, & vere quodam coronata trabearum.

Litem hodie coram Te Judice inſtitui audio, de A-

vitâ *Arbore* Tua Illuſtr.& Reverend. KRĘSKI, Cantor Cathedralis Cracovienſis. Hic illam Architectus Honor Tuis efformaturus in Cathedram meritis, illic Mercurius ſuam eſſe vendicat, quæ jure meritò Porphyrij eſt, una ex Academi nemoribus, ſolia explicans in volumina, digna quæ laureas coronet in Te Romano Doctore. Et certe coronabit etiam Patriæ deſideria, quæ fructu pretioſa aureô, excubantis pro ſe tanquàm pro Regni ærario Aviti Moloſſi, tuta vigiliis.

Superavit divitis oſtia Nili Tuus Regnator aquarũ Fluvius Illuſtr: & Revered. TRZEBINSKI, Cathedralis Cracovienſis Canonice. Habet ingens in Avito *Szreniawa* Tuo Altum Dignitas, portum Fortuna Patriæ, at nec ſuô caruit profundô modeſtia cùm toties Palinurus Honor, remoram in gentilitio offendit flumine, quoties remîs velîſque Fortunæ onerariam Tui appellentis ad littus decoris, glorioſis conatibûs effugiſti. Me tamẽ Judice ſequatur fugientem, & Præſuleis Te reddat torquibus vindex Honor, conſtringat purpurâ, aliis ad exemplum.

Illuſtriſſimi *Vladislavienſis Capituli* frumentum electum quia es; in Domo panis bene meritorum, ſub Avito *Acervo* Tuo reponi debueras Illuſtr: & Reverend. MIŁACZEWSKI, Vladislavienſis Canonice. Auguſta Penetralia quæ domator incolit faſtus, *Milaczevii* invidetis minimè; potior Vobis Honoris Regia Gentilitij *Leſzczyc* Acervus eſt; ideſt Templum Cereris, tot Tutelaribus Poloniæ Sacrum Numinibus, quot Nominis Illuſtriſſimi viris. Habet hic poſt tot publicos motus quietem Polonia, Aram pietas, aſylum Juſtitia. Ponat & Tuam (quam mereris) Cathedram Dignitas.

Antequàm portum, jam cor omnium attigit Avitus Tuus *Lodzia* Illuſtr.& Reverend. OPALINSKI, Poſnanienſis Canonice. Etiam hinc Abſens non potes non videri Celiſſimus cùm alto Dignitatum & Nominis Tui ſpecteris faſtigio. Noſcitur à longè velîs diſtincta purpureîs Tua meritorum pretiis onuſta argo. Cùm verò [mihi beatam] vultûs Tui Viſionem non merear, cultui quoque prono Tuarum difficilior plantarum aditus; *Abſens Salutatur.*

ſua-

ſuadæ proinde meæ venturi adorâſſe famam, inter ſumma eſto. Cum ita Te Honor pinxit publicus, quaſi de facie noſceremus, ita nativus adumbravit ſplendor, ut non poſſis non ſpectari in lucis auge, velut Sol ~~in~~ in radiis, etiam cùm elevatior, terris abeſſe putatur.

Si Tibi Alexandri Nomen Illuſtr: & Reverend. MOKRANOWSKI, Canonice Plocenſis. Cœlorum negâſſet Providentia, adhuc velut Cæſar ſuô calamô, ita propriô armorum Tuorum Stylo, ſummus meritis erga Patriam ſcribereris Alexander. Cœlis ternæ & terris in Bogoriano decore obvertuntur cuſpides, nimirum quòd pro Aris & focis pro Cœlo & Solo patrio, in Hoſtem toties in Tuis volârunt Majoribus. Securitatem igitur polliceris Lechiæ, quam doctô ingenii, & ad triarium robur; armorum Tuorum muniîſti acumine.

Tutatur Poloniam novus ad Portas pro Patria' Annibal Avitus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DŁUSKI, Canonici Luceorienſis GRZYMAŁA. Cataphractus Heros hic, ita arcet à Patriis mæniis & Domûs oſtio pericula; ut ſimul per eundem Fortunæ pateat, & omni virtuti in Sarmatiam aditus. Reſerabit idem Portam triumphalem Dignitatibus, ad quam excubitor hactenùs ſtetit honor.

Quia Fortuna Sarmatiæ es; Avitâ Illuſtriſſimi Culmenſis Capituli in Lechici Areopagi Regiam veheris *Rotâ* Illuſtr. & Reverend. PLASKOWSKI, Canonice Culmenſis, Præpoſite Sztumenſis, Officialis Mariæburgenſis. Ut verò in Te uno ſecuritati provideres publicæ, Patriam Gentilitiâ Nominis Tui armâſti *Aſciâ*, quam ad terrorem ſcelerum vindex ferrum, Juſtitiæ intuliſti Sacrario. Meô votô Romanos imitare Conſules, & Supremis Faſcibus non jam ſecures ſed Patriô polita uſu Arma Domûs Illuſtriſſimæ innecte.

Non jam Jupiter, ſed Mars Polonus in Regni tutelam habet fulminum Miniſtram volucrem in Avito *Jaſtrzębiec* Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi ANTONII POPŁAWSKI, Decani Chełmenſis. Venator Honor hanc ſibi ad manum Alitem habere voluit, ſi forte pulſa avolaverit, non aliter niſi ad Purpurarum illicia redituram.

Ultra Stemmatis Coronam Soleæ bajula Avis hæc progreditur, faſtigium meritis quæſitura, quod toties ſecundi pro bono Reipublicæ meruêre paſſus.

Nuper ex oculorum acie, ſed nondum corde abiiſti Illuſtr. Reverend. ADALBERTE JOSEPHE *de Jakubovice Toporczyk* JAKUBOWSKI, Canonice & Judex Surrogate Kijovienſis. Etiam poſt *valedictorios* Cultus Te ſequitur Salutatio, & pediſſequa comitatur euntem ſuada. Si quid floridum de Hortenſiis haberem Orator; Heliotropij me induiſſe naturam arbitrarer; eò: quòd Te *Kijovienſis* Cœli Solem etiam cùm lumina cōdas, pronô in cultus *vertice* ſequar. Gratias tamen æternas illi debemus momento, quo non ſinè Comite Regni Fortuna in Juſtitiæ Sacrario comparueras. Iniîſti enim armorum Societatem tuendæ Patriæ, poſtquam Avitam Tuam *Aſciam* Themidis junxiſti Gladio. Innectatur hæc ſummis Faſcibus, cùm *vero* Oratoriæ periodi Sphæram, Virtutum Majeſtate excedas, ambiant Te Cathedræ, Gentilitiæ Tuæ *Aſciæ* Fabrica, ac ſis Tuæ Fortunæ Faber.

Poſt ſui abitū Petricoviâ abſens ſalutatur.

Poſt Sacra Nomina primus inter Lechicæ Fortunæ, Securitatis Aſſertores occurris excurrenti in plauſus Suadæ Illuſtriſſime Excellentiſſime STANISLAE KOSTKA ŁĘTOWSKI, Subdapifer Cracovienſis, Judex Caſtrenſis, Biecenſis. Deſponſaſti Te Sorti Patriæ, *Avitô* Domûs *Annulo* poſtquam orbe *vaſtius* effeciſti Nomen Tuum, ut jam credi Vatum poſſit oraculo: *Annulus* Orbis erat. Quanti Sitis Łętowij? ad Jordanowianas *Tubas* in Senatorio Sanguine Illuſtriſſima Conſorte Tua Nominis preco Fama, Vos *decantavit*. Poſtquam in Orbem *Annuli* Veſtri *traxiſtis* fere univerſum, etiam Cœlos Tibi feciſti affines, dum Tutelarem Poloniæ *Koſtkam* ad Tui pectoris Auguſtal transtuliſti, in Ara Cordis locaſti, & gemmam accluſiſti Conchilio.

Profluis ex purpureo *Druzorum* Sanguinis fonte, id eſt Poloniarum Piſcaria, unio ad Coronam, gemma ad Senatum Illuſtr. Excellent. PISARSKI, Theſaurarie Cracovienſis, Olbromenſis Capitanee. Gratiæ ſint immortales Cœlorum Providentiæ, quæ meritis, & generis antiqui-

tiquitate venerandum *Druzorum* Nomen, illam Romanorum Numinum potiùs quàm homînum posteritatem, Sæculis ad ideam Candoris, in Avito *Druzyna* velut in illimi Fonte, & Lympharum Crystallo, vivam Heroici pectoris imaginem, in Te reliquerunt.

Insulas appellit fortunatas, quoties Sortem vehit Patriæ, honoris Oneraria Illustr;Excel:POKLEKOWSKI, Castrensis Syradiensis Notarii Prora. O! quot Syrtibus alliderentur Jasonum Lechicorum rates, vellus etiam aureum, Trabeatas Substantias, in discrimen, quodammodo litigantibus inter se commissuræ fluctibus; nisi hoc Securæ institore rideret decumanos periculorum vortices, universa Polonia, in cujus Suppetias remis Avitæ Navis velisque properantem, etiam meritorum Notariæ, toties juvarunt pennæ, ut volare in publicos diceretur; usus.

Secura à Casu lubricum non timebit planta Patriæ, ad Illustr.Excellnt. CZAYKOWSKI, Thesaurarii Lanciciensis Soleam, tersam continuis Reipublicæ usibus, præclaris politam muniis. Altîs istius per merita passibûs, radiis Czaykovianæ virtutis Nomen Splendidissimum, non unam Principem in Polonia subintravit ædem & Patrios quoque Penates, Domus suæ inquilina fecit Numina, postquam hæc in gloriæ Suæ partes nexu traxit Sanguinis. Restat ut sicut olim sui labores Herculem ita Avitus *Ales* pro Patria obeundis impensam Conatibus Soleam, locet inter Sydera, aram triumphalem Heroi animo erecturus.

Harpocratem agere Tullius Cogitur, quoties 'Avitis Illustr.Excellen.KRAKOWSKI Vielunensis Tribuni Tubis in elogia comparet accitus. Vocale per se Nomen est, quod toties magnarum preco virtutum fama decantavit ad lituum. Pleno ore loquuntur merita, & ipsa pro Domo Illustrissima agunt Oratorem. Per Vielunensis Terræ Compita sonat Gloriæ Echo & Orbi se se insinuat Sarmatico, ut constet vel ex ipsa famæ magnitudine quanti sint meritis KRAKOWII, ad quorum lituos triumphat Patria.

Illu-

Illustr: Excell: WILKANOWSKI, Terrestris Lancicienſis Notarii etiam Honor Notarii functus Officio. Implevit faſtos, obruit volumina, refertiſſimos fecit Annales Nominis iſtius Eminentiæ. Quos Senatorio notavit Sanguine diſtinxit Purpuris. Omniumque cōſuluit memoriæ, quod Avita WILKANOWSCIORUM *Sagitta* In altiſſimos ſemper contendit Honorum gradus, Summa Dignitatum tenuit faſtigia, omne meritorum Sublime emenſa ut Secum Patriam erigeret.

Pavebat ſemper hoſtis ad Claſſicum Avitarum *Tubarum* Illuſtr. Excel. MOROCHOWSKI, Caſtrenſis Lancicienſis Notarij; In omni arena triumphum cecinit Domûs Illuſtriſſimæ Fama, bello paceque benè, audit, & quæ Regum Principumque toties aurem meruerat, Cor etiam omnium occupavit, animos poſſedit. Ipſa tantummodo ſcelerum temeritas odit in Avito decore hunc Virtutum concentum, morum harmoniam. Nimirum diſparent & condemnari ſe permittunt vitia, quoties MOROCHOWSCIORUM *Tubâ* vocantur ad Judicium.

Feræ Leoneſque præſunt alibi, qui Regna tutantur & Provincias; Cœleſtes vero Genios Tutelares habet, inter Avita *Arma* Kijovienſis Palatinatus. Unus ex jis es Illuſtr. Excel: NICODEME CASIMIRE *in Szumſko* WORONICZ, Vexillifer Ovrucenſis, Vice-Palatine Judicialis Generalatûs Kijovienſis, Capitanee Oſtrzcenſis. Angelum Te dixi? certè Cuſtos es à limitibus; Regni noſtri animæ, libertatis Tutor. Tuæ bonorum jacturæ (quam nuper etiam vitæ prodigus Tutandæ impendiſti Patriæ) Suam debet integritatem concivium fortuna; hæc ne cum libertate caderet Tu obſtabas. Collabentes res Poloniæ erecturus. Atlantem animum hunc Succollandæ natum Patriæ, unà cum heroico traxiſti Sanguine ex meritis & Virtutum Splendore Illuſtriſſimo JOANNE SAMUELE WORONICZ Kijovienſi Dapifero Progenitore Tuo. Cujus viva Imago es, ita ut morum Comitas, animi Candor probet Te JOANNIS, ideſt Gratiarum Filium. Certè ad omnium natus es Gratias. Ingens Poloniæ Theſaurus A-

viti

viti *Herburt* Tui Pomum, Tuorum pretiô aureum, uti hosti nunquam non malum, ita Regibus etiam, fuit ad delicias. Si enim Judex Illustrissime ab Oratore pateris Crysim? dicam! Supra Balticum mare illud piscatus es in turbido; nempè sub illam armorum in Regno tempestatem, Sarmatiæ inter & Prussiæ limites Cor Regum rapuisti Solus, occupasti amoris Regiam, unus omnes possedisti affectus, fidus illius Principis in miserabili Statu Poloniæ Achates, velut in excidîo Trojæ Æneas. Regum proinde deliciæ es. Utinam vero sicut Cordi Domesticus; ita Majestati vicinus adoreris.

Avita Illustr: Exc. LUDOVICI PODHORODYNSKI, Castrensis Volodimiriensis Notarii flumina Oratorum Castalis sunt. Ubi Lechicæ fortunæ vehitur oneraria, contra Scyllarum latratus suavi lòquuntur murmure, & vel ita Patria pro Domo idest Purpureo Ortus sui fonte agunt Oratorem. Nec aliam patiuntur arenam, nisi quā Mars usurpet hostium tumulis distinguendis, aut erudita Pallas magnis pro Republica Characteribus. Atomos fovent montibus æquales, non quod inflatis constent punctis, sed quod meritorum æquè ac Magnorum Nominum Contiguitas honoris Causet Eminentiam.

Ad meritorum Coronam Triumphali procedis Appiâ LOS, Illustr. Excel. Czerwonogrodensis Vexillifer. Calcatos Hostium gladios Majorum Tuorum testantur vestigia, toties defixa firmiter, quoties pro avitis, & tota Religione adamatis Crucibus Solea trivit hostem & iter. Viam hæc procedat Crucis, idest omni benedictione prosperam, donec pedissequus honor altis Soleæ insistat vestigiis.

Aras armasti Themidis postquam his avitum immolasti *Unicornem* Illustr. Excel. MARKOWSKI, Notarie Terrestris Podoliæ, Dzwinogrodensis Capitanee. Timent Scelera ingenii Tui & armorum acumen. Capite Gentilitius Tuus *Boncza* metuendus magìs quàm ferreum Spirantes Martem bellici Arietes. Nimirum vel Sola decisio Magni Judicis Scelus exanimat, Notarij stylus Calami proscribit nefas omne, de Regno simul & vita.

Gloriæ Tuæ Argumentum non ab Oratorum Stylo ſed à Gentilitii *Bończa* habet acumine Illuſtr. Excellentiſſime SKARZYNSKI, Tribune Goſtynenſis. Nimirùm illud Solum Tuis dignum meritis elogium eſt, quod Tuum eſt Tibi Domeſticum. Ferarum etiam animos Tuo militare feciſti honori, coegiſti in Domûs Tuæ præſidium, certe Leones exteros non timebis Polonia, Avitis SKARZYNSCIORUM tuta armîs.

Phænicem Heroum Domus Tua in Avito *Jaſtrzębiec* habet Illuſtr: Excel: BRATOSZEWSKI Caſtrenſis Goſtinenſis Judex. Bonis Avibus Prædeceſſores Tui in Hoſtium volarunt Aquilas hac Præduce Alite. Nec poterant Sublime non tenere Gloriæ, chalybeo etiam graves Marte Majores Tui, poſtquam in Gentilitio decore Suppeditaſſet alas amor Patrius.

Quantæ Proceritatis *Godziembarum Arbor* ſit ex Te fructu colligimus Illuſtriſſime Excellent. PAULE *de Lubraniec* DĄBSKI, Breſtenſis Cujaviæ Vexillifer. Explicat Se ſe illa virîs Tui Nominis Triumphanti Patriæ in laureas, & quodlibet folium Regale eſt. Ternæ hanc attollunt frondes, nimirum, quòd feſtior dignitas habeat in Vobis Aras, fulcrum Patria, Domûs Illuſtriſſimæ Gloria, Coloſſum. Dodoneæ etiam Quercus fruſtra roboris firmatæ Nomine ad brumæ frigora cum foliis amittunt vultum; *Godziemba* Veſtri immortalitatem, perpetuus in Reipublicæ muniis viror probat, cum in nova Se ſe explicat ornamenta, ſemperque renata Nobilitate viret.

Cœlo inferri poteris à Polo orta Polonia Illuſtriſſimi Excellentiſſimi JOSEPHI *de Skrzynno* DUNIN KARWICKI, Opocnenſis Pincernæ, Aviti *Cygni* Tuum Sublime ferent ad Sydera Nomen, & Solis penetrabis Regiam illo olore Præduce; cui nullum ad faſtigia iter invium. Vatum fide, in Stellarum ille tranſcriptus conſortium, poſtquàm anguſtum Terrarum Orbem KARWICCIORUM Famæ conſpexiſſet. Non tamen

So

Solum deseruit Patrium Princeps æmulatus luminare quò eminentius; eò magis amicum Sublunaribus. Cantator ergo *Cygnus* toties Celeusmata concinet, quoties inter bellorum fluctus Patriæ Fortunam viderit triumphantem.

Et jam, Lechiæ Triumphos, in Vobis, Patriæ, Fortunæ, Securitatem in Asylo Justitiæ, Triumphantem Poloniam sub Judiciorum Vestrorum Securitate, Spei Publicæ Compendium in utroque adoravi Collegio. Vos meritis & Pallade Summi Judices, Suadæ temeritatem cum in concinno (quia ad Vestri ingressum obvio) comparentis Stylo absolvite. Coram Achille de Armis & Securitate disceptantem me, verbo destituit officium. Vice-Regiæ Majestatis Vestræ reverentialis timor, Solutum aliàs, ligavit Oratorem, utinam vel ita Vestris mancipatum Obsequiis. Qui vero robur estis Triumphantis inter pericula Poloniæ etiam Polonæ Societati Asylum fieri non dedignemini. Pro Cunis, in Clypeo educati Sarmatæ cor Marti amicum geritis? ab hoc Militem IGNATIUM non excludite.